

intrinseca motrice gravium in ordine ad sua loca, quām de ceteris omnibus potentia in ordine ad sua objecta: atqui cetera omnes potentiae ad apprehendenda, discernenda, attingenda & uno verbo obtinenda utcumque sua objecta indigent principio actuali determinante extrinseco: ergo &c. Major satis conflat, nam objecta gravium sunt singulis sua loca. Minor vero probat affirmando in exemplum potentiam visivam, qua ad actualē visionem determinari debet à speciebus adventitiis; aut olfactivam, qua ad actualē olfactionem rosea v.g. procul posita debet pariter determinari à corpusculis odoriferis, &c. Ac tandem nulla est potentia assignabilis, qua ad actum suum non indiget determinatione, quām à se ipsa elicata, si est libera; aut ab extrinseco accipiat, si fuerit necessaria. Et ratio evidens est, quia potentiae omnes non solū liberae, sed necessariae sunt ex se ipsis indifferentes ad attingendum hoc aut illud objectum in particulari, quod fuerit intra speciem objecti communis proportionati. Inde sit ut sicut voluntas mea est indifferens ad hoc aut illud bonum in particulari, ita etiam potentia mea visiva sit indifferens ad hunc aut illum colorem in particulari: Ergo sicut voluntas non potest appetere hoc aut illud bonum, nisi hoc aut illud se se exhibens appetendum illam determinet; ita nec potentia visiva potest videre hunc aut illum colorem, nisi hic aut ille exhibens se videndum illam determinet: cum hoc tantum discrimine, quod non determinatur à bono sibi proposito nisi moraliter, sumendo deinceps ex se ipsa physicā & liberam determinationem ad illud. At potentia visiva necessario & invictè determinatur ab objecto visible sibi exhibito. Ergo &c.

Adde quod nullus haec tenus vixit Philosophus, qui ad determinandam potentiam non dixerit esse necessariam sāltem præsentiam objecti, quo modo aliqui, ut plurimas difficultates, qua in his rebus philosophicis occurunt, vitarent, dixerunt ad visionem actualē sufficere præsentiam coloris licet distantis, & ad actualē olfactionem præsentiam aromatis, &c. ac proinde etiam ad actualē accessionem ferri versus magnetem præsentiam magnetis, & sic de aliis. Ergo non potest negari corpora omnia in ordine ad suos motus locales indigere aliquo principio determinante extrinseco præter præsentiam motricem intrinsicam, quam habent; quia haec est otiosa & inutilis, nisi determinetur. Verum quia aliunde præsentia objecti distantis præcisè prout præsens est, non est activa; nullum enim agens agere potest in distans, ut suo loco ostensum est, inde sufficienter convincit objectum non posse movere potentiam, nisi per aliquod effluvium, aut à se emissum, aut à se reflexum, aut quid simile; & hoc patet nec visio, nec olfactio,

ur in
exemplā
ceterae
potentiae.

VII.
Nec suffi-
cit præ-
sentia ob-
jectorum
ad illas,
determī-
nandas.